

est, cur *Racine* Tomo IX. *Abregé de l'Histoire Ecclesiastique*, pag. 602. edit. Colonienfis 1752. referens *Auctoris* nostri Scripta, tribuat illi *un Cathéchisme fort étendu*, de laudata *Introductione* ne 7^o quidem pronuntians.

XXXVII. Inter omnes vero, quae e praelo in hanc diem prodierunt versionis huius editiones, amplior praestantiorque est ea quae Parisiis exiit in lucem II. Voll. in fol. typis Petri le Petit 1658. et 1690.

I A P O N I C E.

XXXVIII. In hoc idioma translata ac edita fuisse Opera nostri *Granatensis*, locupletissimus testis est *Mugnozius* in eius *Vita* Lib. III. cap. 9. fol. 208. b. his verbis: *Ultimamente se han traducido en Japon, i se han impreso en Machaon con caracteres Japonicos*. Quod innuit etiam *Didacus Aduarte*, Episcopus Novae Segoviae ex Ordine Praedicatorio adsumtus, T. I. *Hist. de la Provincia del S. Rosario de Filipinas, Japon, i China*, Lib. II. cap. 8. pag. 446. col. 1.

S I N I C E.

XXXIX. In ipsam quoque *Sinensem* linguam conversa esse, non obscure tradit clarissimus *Echardus* T. II. pag. 291. col. 1. et colligitur etiam ex *Mugnozio* in loco, quem mox citabimus exscribemusque. Nec est praetereundum, *Domincum de Nieva*, Ordinis nostri, Sinarum lingua et formis edidisse, nedum *Memoriale Vitae Christianae*, quo de opere, inquit *Antonius* T. I. *Bibl. Nov.* pag. 255. col. 1. quod valde laudari solet utilitatis nomine ad conversionem *Ethnicorum*; verum etiam *Tractatum de Oratione et Meditatione*, aliaque id genus pia Opuscula. Quae etsi nemo adferat, ex Hispanis *Granatensis* in idioma *Sinicum* translata, aut saltem excerpta fuisse; ipsa tamen programmatum similitudo, immo *identitas* (si ita Latine loqui licet) aliquam id suspicandi ansam praebet: quod nostri illarum Regionum Historiographi discutiant.

P E R S I C E.

XL. Idem *Mugnozius* in verbis statim referendis innuit etiam, apud *Persas* nota ac evulgata esse; quod potissimum de opere, cui titulus: *Introduccion al Simbolo de la Fe*, dubitare haud licet, ut supra §. II. sub Num. V. cuiquam pater.

TVR-

T V R C I C E.

XLI. Laudatus *Mugnozius*, excipiens nostrum *Ludovicum de Sousa*, Lib. III. *Vitae Granatensis*, cap. 5. fol. 193. a. ad *Turcas* quoque pervenisse, prodit; cuius verba vix temperare mihi possum, quin hoc loco repetam, suntque huiusmodi: *Ya no ai Nacion en el Mundo donde no hayan penetrada, llegaron a los Turcos, passan a los Persas, i hasta los ultimos Chinas; i está averiguado, que están traducidas en nueve lenguas*. Et infra cap. 9. fol. 208. b. *No ai Region o Provincia alguna, que no aya hecho natural suya al P. Fr. Luis de Granada, i sus Escritos. Avemos dicho, i deve repetirse muchas veces, que andan traducidos en quantas lenguas reconocen la Silla de San Pedro, i aun en algunas, que no le están sujetas, se estiman i veneran*. Huc etiam pertinet quod ait *Claril.* *Diagus* in *Vita* eiusdem *Granatensis*, cap. 9. fol. 37. b. scilicet eius Opera in varias linguas Indiarum cum Orientalium tum Occidentalium versa fuisse. Quod mirum esse haud debet, cum haec scripta (in quibus nescias quid prius celebrandum sit, pietas an eruditio) Spiritus sancti unctioe sint perfusa, et illis nihil solidius, altius, salubriusque ad componendos mores, vel divinius et efficacius ad ciendos devotionis affectus inveniatur. Hinc *Gregorius XIII.* datis ad ipsum Apostolicis litteris ita laudavit, ut maiora piis Libris eum edidisse miracula dicat, quam si caesis visum, aut mortuis a Deo vitam impetrasset. Tanti etiam Opera *Granatensis* faciebat *S. Franciscus Salesius*, ut Epist. XXXIV. Lib. I. ad quemdam Episcopum sibi amicissimum haec scribat: *Ludovicum Granatensem integrum habeas, tibi que Breviarium sit alterum. Cardinalis Borromaeus alia ad concionandum Theologia non utebatur, et tamen concionabatur egregie. At non hic illius praecipuus usus est. Animum scilicet ad verae devotionis amorem dirigit tuum, et ad omnia necessaria tibi exercitia spiritualia. Ipsius lectionem a Duce Peccatorum auspiceris velim; tum ad Memoriale transeas: tandem totum perlegas. Verum ut fructuose legatur, non raptim legendus, et quasi devorandus, sed ponderandus et aestimandus est. Per singula capita in eo meditandum, eiusque doctrina magna consideratione et precibus ad Deum animae applicanda. Cum reverentia et devotione legendus est, ceu Liber utilissima, quibus anima*

cae-

caelitus adflari ac erudiri possit, continens documenta: ex quibus omnes animae facultates reformandae, etc. Ita Latine vertit ex Gallico Clariss. V. Natalis Alexander, Saec. XVI. *Hist. Eccles.* Cap. 5. Art. III. Num. XX. ubi agit de nostro Ludovico.

Innumera alia praestantissimorum virorum testimonia atque iudicia de eius absolutissimis Scriptis possem huc adducere; sed ea vel solum indicare, res esset taedio plena, et quae Volumen impleret satis spissum. Nec vero fuit mihi animus, nisi *Catalogum Operum*, quanta maxima brevitare id fieri poterat, contexere; in quo sane *Commentario* si aliqua sunt nunc praetermissa, aut etiam per errorem vel memoriae lapsum a veritate devia, spem facio Lectoribus aliquando addere atque emendare in *Supplemento* quod adorno ad *Echardi* eximium Opus *De Scripturibus Ordinis Praedicatorum*.

FINIS.



IN-



INDEX PARAGRAPHORVM

QVAE

IN HOC COMMENTARIO CONTINENTVR.

§. I. Opera Latina.	pag. 7.
II. Opera Hispana.	14.
III. Quae scripsit Lusitanice.	30.
IV. Aliorum opera ab se versa.	32.
V. Aliena scripta ab se typis publicata.	34.
VI. Epistolae ac fragmenta aliorum operibus in- textis.	36.
VII. Opera anecdota.	38.
VIII. Opera dubia.	46.
IX. Opera falso ei adscripta.	48.
X. Aliorum opera eius vel iussu vel suasu scri- pta.	51.
XI. Operum Granatensis indices ab aliis contex- ti.	52.
XII. Compendia sive excerpta ex Libris Granatensis, in varias formas, pro ingenio et libito edito- rum, concinnata.	54.
XIII. Amplissimae operum nostri Ludovici collectio- nes.	61.

AV-